



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XX. Sancti Patris Benedicti. M.XL.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

nominatur. Decessit autem Bietis 27. Novembr. inde Bituriges transiatus. Ejus spectantur insignia in Aulæis Metropolitanæ Ecclesiæ, leo caruleus in campo aureo, cum hoc symbolo: *Vir- tui parent omnia*, ut ex hoc ipso Principem agnoscas, & ex vita omni observes sui symboli memorem & observantem, Ejus successor Franciscus Bueilius fuit, cujus supra meminimus. *Claud. Rob. &c.*

Inter Olivetanos nostros, celebratur nunc ab insigni & profunda Cosmographiæ cognitione Ven. Pater Julianus Vannellus, cujus alia inter miræ Magnitudinis sphaera ab ipso confecta usque hodie in Montis Oliveti Archisterio cum admiratione inuentum omnium aservata. *Secundus Lancelottus.*

In Italia Casinates inter Ascetas excelluit præ alijs seriæ Reformationis sedulo satagentibus R. Pater Dominus Honoratus Hieronicensis ex familia Falcitella, Vir doctus & Poeta, insignis, ob virtutem atque eruditionem creatus Episcopus Insulanus in Calabria. In Hispanijs supra alios meritis se commendat Georgius de Melo ex Abbate Alcobaeni Episcopus Guardiensis, ut plurimos alios subiteamus. Moritur hoc anno Ven. P. Paulus Orlandinus 12. Novemb. *De quo uberius supra. Ao. 1512. egimus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XX.
Sancti Patris Benedicti. M. XL.

Rursum quod admirabile omnino est, Luthero & Hæresiarchis multo numero varijs in Ecclesiam Dei insurgentibus, & Divinæ Legis jussu, atque sacrosancta verba, cum mutilantibus, tum ad suam libidinem & placita nequissime detorquentibus, in his ad amussim observandis, consilijs ulro amplectendis solliciti nostri, totos sese ex optimi Numinis beneplacitis accommodant & conformant, confurgitque aspirante Numine nova & strictissima. Ordinis Reformatio, Grottanorum, sive Montis Coronæ appellata; Congregatio usque hodie viris sanctissimis & meritis in-structissima. Institutor ejusdem Beatus Paulus noster Justinianus Venetæ serenissimæ Republicæ & Patricij Ordinis sydus lucidissimum fuit, idem.

quem superius Camuldulensium strictissimæ observationis, restauratorem celebravimus. Is altiori & ferventiori desiderio accensus, totusque inflammatus, accumulando DEI gloriam, per sanctæ Camaldulensis solitaria Vitæ studium, litteras à sancta Sede Apostolica impetravit, ut ubique terrarum ipsam Camaldulensem Religionem, sibi plantare liceret, sicut ex Diplomate liquet, ipso hoc anno in curia Pontificis dato; sollicitus inde non tantum longè latèque sanctissimum illud propagare institutum, verum etiam strictiorem illam in Monasteria pridem extructa inducere Reformationem, incredibili totius cœli plautu, fructu maximo à tam sanctis exemplis in ipsos etiam sæculares homines redundante, plurimosque à precipitio revocante.

Habitavit autem Paulus primum, cum quodam Oliva Converso ad sancti Hieronymi de Pascialupo Dioceseos Eugubina, deinde apud Oppidum Massacium, quarundam speluncarum habitator factus, suæ Religionis & novæ Congregationis fundamenta jacens, quæ à speluncis & cryptis, quas Itali Grottas appellant, Grottanorum sive Montis Coronæ Eremitarum denominationem accepit. Ita invalescente apud sæculi filios Hæresium peste, Ordo noster, juventute renovatus Aquila, meritisque gravissimis atque virtutibus adolescens, sanctioris vitæ exempla, ad confirmandos bonos, malos confundendos jugiter protulit, & multa mortalium millia rapuit in salutarem admirationem, movit ad reverentiam, commovit devotionem, traxit ad vitæ correctionem. *Ex Monumentis Montis Coronæ & scriptoribus rerum Camaldulensium.*

Lugent inconsolabili luctu Præsulem suum Georgium Dimipierium superioris Altaichij asceta & pio parenti parentant. Is humili natus genere, sed excelsio animo, cum Abbas creatus insignia sibi eligere moneretur, calvariam elegit, dignissimum Homine insigne, conducibili ad omnem aternitatem monumento, qui in omni actione illud præ Oculis haberet. Fuit vir Religiosissimus, & quia tot undique ingruerant periculolissimo tempore viro DEI adversa, Monasterio & Religio-

Montis Coronæ stricta observatio.

Congregatione de Grottis.

Georg Abbat Altaberensis.

Symbolum ejusdem.

Honoratus Episcopus.

Georgius Episcopus Guardien- sis.

Beatus Justinianus.

giolis pericula, similis sibi perpetuo instar Job sancti, fuit, imo reapte Jobam egit, non minore apud prudentes exempli gloria, quam meritis & gratia apud Numen, stupentibus super constantia viri & generositate, qui reſciverant, univerſis, cum pecoribus omnibus abactis, & decem una eademque die villis per summam injuriam ab jurato Religioſorum hoſte abſumptis igne & in cineres redactis, ſibi conſtans ſemper, nihil omnino, ne verborum quidem in adverſarium retorqueret, & in hæc Jobi ſola atque unica erumpere conſueſſet: *Tribulaver, ſi neſcerem, miſericordias tuas Domine &c.* quæ ipſiſſima ſibi ſemper ſolatio fuiſſe incredibile in omni tribulationum tempeſtate ſerio affirmavit, & ſuo, moriturus, in ſculpi ſepulchrali lapide juſſit, quod hoc ipſo, altero poſt obitum anno, amantiffimi tanti patris Cænobita filij fecerunt. *Ex Monumentis ejuſdem Cænobij.*

Laudatiſſima patientia.

Qualiter ſe ſolaretur.

Noſtri noſtrum Orbem demerentur.

Ultra ſocios ſibi adiungunt.

In novi Orbis cultura & cultu rerum ſtrenuè ſatagunt Valliſoletana & Monteferrateſis Congregationis Aſceta, pulcherrimo juxta, charitatis exemplo, cum ſeſe in tantos tam amplii terrarum ſpatij labores ſufficere non adverterent, & Dominicani & Franciſciani Ordinis, ſed & ex clericorum votis Religionis non adſtrictorum ordine, ultro & ſponte non ſolum admittentes & invitantes quam plurimos, qui ſecum in agri Domini laboribus deſudarent, quibus cum paciſicè onera partiti, nulla cujuſquam invidia ſeu conteſtatione, eoſdem Benedictina etiam liberalitate, & menſa dignati, & pro ſubſidio remunerati, in plurium deinceps ſacrarum ædium & Monafteriorum ſtructione, manus & opes auxiliare præbuere, tanta ſua de univerſis merita de industria, occultentes, contenti animarum ſaluti, Numinis honori conſuluiſſe, nec ſuis ſolummodo, ſed in tot millium uſque hodie laboribus & manibus cælos demeruiſſe. *Ex diverſis rerum Hiſpan. Scripturis.*

Æſu CHRISTI ANNUS M. D. XXI.
Sancti Patris Benedicti. M. XLI.

B. Catharina Mediolanenſis.

R Ediviva in Redivivo Benedicto Catharina Senenſis, Gemella & altera ipſa Catharina Mediolanenſis

est, Maria inquam Catharina Brugora, electa ab ipſa infantia, imo in utero Matris ad Virginum ſponſi favores ſingulares, ad ſingularia in ipſa comprobanda, gratiarum charismata. Cui ſub hoc ipſum tempus, uti Catharina illi, ſua mirabili modo communicare ſtygmata viſus eſt, & quod ad gratiæ cumulum, puncturas omnes coronæ ſuæ ſpinea tam charo ſibi capiti Virginis infligere, quæ humillima, Virgo neſas cuiquam aperire quam per obedientiam conjurata Abbatilla tuæ & arbitro conſcientiæ, cenſuit, cum, hoc gratiæ, intenſiſſimo Meditationis ſtudio & Dominicæ paſſionis conſideratione, cum inolerabili ſibi compaſſione compararet, & quali meruiſſet, ipſa Regis ac Regina Martyrum admirabile exemplar facta, ſpectaculum Angelis jucundiſſimum, in tantis ipſa doloribus, in effuſiſſimas tota exhausta gratiarum actiones. Et hi quidem, etſi tanti doiores, ſolatum juxta habuere, utpote ſumma charitatis a ſponſo pignora. Dolores alij intolerabiles & immedicabiles, imo quaſi infernales, cum tenerrima dilectionis Virgo in conſiderationem offeſarum Dei quotidianarum, & peccati mortalis deſcenderet, & ſæculi tanto pere corrupti ſcelera expenderet, exanimari ſtatim viſa, & exanimata revera eſſet, niſi is qui dilectæ ſuæ tantum peccati honorem, & condolentiam infuſiſſet, idem ſibi tam charam, ad majorum incrementa meritum, ſervaviſſet, & inter, caſtos amplexus adeo dignè exanimem ſervaviſſet & animaviſſet. Tantum hominis miraculum etiam perditiffimo huic ſæculo numen beneficum dedit, & Benedictum Archiducem noſtrum & communem patrem in hæc filia tanto poſt honoravit, atque conatus Ordinis & Reformationem concitavit. *Ex Vita per Franciſcum Rugerium.*

Ipſo hoc anno miris incrementis ſanctiſſima Montis Coronæ Congregatio augetur, ſanctitatis ſcilicet novorum Chriſti militum odore commotis certatim hinc inde conſluentibus mortalibus, & vitæ ſolidos fontes conſectantibus, atque Religioſa diſciplinæ conſortium efflagitantibus, quos inter genere & eruditione illuſtriſſimi plurimi: ex quibus hoc ipſo etiam

Sacris ſtygmatis infligitur.

Ingenies ejus dolores.

Prodigioſe in vita conſervatur.